

From the 1610 Monteverdi Vespers: *Audī, caelum*

Audī, caelum, verba mea,  
Plēna dēsideriō et perfūsa gaudiō. (Audiō!)  
Dīc, quaesō, mihi:  
Quae est ista,  
Quae consurgēns ut aurōra rutilat,  
Ut benedicam? (Dīcam!)  
Dīc nam ista pulchra ut luna,  
Ēlēcta ut sol,  
Replet laetitiā terrās, caelōs, maria. (Marīa!)  
Marīa virgō illa dulcis,  
Praedicāta dē prophētā Ezechiel,  
Porta orientālis. (Tālis!)  
Illa sacra et fēlix porta,  
Per quam mors fuit expulsa,  
Introducta autem vita. (Ita!)  
Quae semper tūtum est medium  
Inter hominēs et Deum,  
Prō culpīs remedium. (Medium!)  
Omnēs hanc ergō sequāmur,  
Qua cum grātiā mereāmur  
Vitam aeternam.  
Consequāmur. (Sequāmur!)  
Praestet nobīs Deus,  
Pater hoc et Filius et Māter,  
Cujus nōmen invocāmus dulce  
Miserīs sōlamen. (Āmēn!)  
Benedīcta es, virgō Marīa,  
In saeculōrum saecula.